

CLASSIS TERTIA
V E N E N O R U M
FOSSILIUM ACIDORUM.

Acida mineralia omnium cognitorum acidorum potentissima, & gravissima, concentrata, venena sunt caustica, cum corrosione, destructione partium viventium cito gangrenosa; quod quidem, quia multiplici hinc inde observatione innotuit, non probabo: Nec id inquiram an a gravitate horum specifica, eorumque rigiditate is absolute pendeat effectus, id vero tantum, quod iam saepius dictum, & retinendum, in medium adferam: tres acidorum mineralium diversas species esse, acidum nempe vitrioli, acidum nitri, acidum salis: horum potentissimum vitrioli, quod data uncia una proprii spiritus drachmas quinque grana tria acidi largitur; secundo loco acidum nitri, quod simili dosi spiritus nitri, drachmas duas, grana viginti acidi; tertio salis, quod drachmam unam grana tredecim concedit, ut experimenta docuere HOMBERGIUM. Acad. des Sciences 1700. Veniunt igitur in censum huius classis

VITRIOLORUM Acidæ. Spiritus & Oleum.

Quæ ex vitriolo ad flavedinem calcinato, destillatione vel descensoria, vel laterali obtinentur: Et quidem spiritus nihil aliud est, quam acidum vitrioli maiori quant-

quantitate aquæ, oleum vero minori, ut sub forma fluida appareat, conteimperatum: glaciale enim, dum magis dephlegmatum est, & consilit, dicitur.

ALUMINIS Acidum, Vitrioli idem.

SULPHURIS Acidum, quod flagrante phlogisto solum obtainendum sub campana, spiritus sulphuris per campanam dicitur.

NITRI Acidum. Spiritus fumans, seu aqua fortis, verus nitri spiritus, vitrioli acido, basi nitri ob maiorem affinitatem iuncto, in destillatione expulsus, solempne argenti menstruum, & facile, dum duæ partes spiritus uni parti argenti superfunduntur.

AQUA REGIA acido nitri, & salis, vel nitri, & salis ammoniaci conteimperatis exurgens, recens argentum solvens, adulta non attingens, verum auri menstruum. Alia de nitro dicta sunt parte II. *de attenuantibus.*

SALIS Acidum. Spiritus acido vitrioli expulsus efficacior, terris bolaribus ignavior, semper tamen corrosivus, si purus est; alia de sale Parte II. Acidis mineralibus assumptis, spes in oleofisi, mucaginosis.

Quantumvis vero hæc acida mineralia per se venenata sint, horrenda tamen magis evadunt, si glebæ metallicæ iunctæ sint: atque tales multæ metallorum solutiones habentur, ut auri, argenti &c.

AURUM *Omnium.* Classis Naturalis Metallo-
rum Nobiliorum, *Mineralogiae W. Germ.*
Gold. *Gallis Or.* *Anglis Gold.*

Metallorum ponderosissimum, simplicissimum, aqua regis solubile, **AURUM** est: adhæc nec elasticum, nec sonorum, nec aere, aqua, igne destruendum, licet admodum malleabile, & ductile, deprehenditur, simul etiam tenacissimum sub aqua bilance hydrostatica ponderatum vigesimam fere sui ponderis partem amittit. Aqua regia mediante calore solvitur solutione transparente. Solutio auri in acidis fossilibus horrendi saporis omnia erodit, **BOERHAAVE**, eiusdem nocte etiam sal metallicum auri, aut crystalli solares habentur.

Solutio auri alcali volatili, fixo, aut terra absorcente præcipitata, exsiccata prudenter, *aurum fulminans* audit, quod pondere aurum in compositionem receptum superat, & in magna copia aquæ lotum, omni sale purgatum, non amplius fulminat, etiam simplici fusione in aurum resuscitari potest, **MACQUER**, nec opus est illi reducendo corpora inflammabilia adiicere cum principium inflammabile non perdiderit **SPIELMANN**.

Hoc compositum vim fulminandi habet, quam tamen oleum vitrioli affusum inhibet, **MACQUER**, & sulphur Basil. **VALENTINUS**, & salis acidum **ROLFINCK**, & acetum **SPIELMANN**; quem vero sal ammoniacum in menstruo solvente receptum, aut alcali volatile ad præcipitationem adhibitum, constanter intendunt, **WALLERIUS**, & alcalina fixa supprimunt **STAHL** fund. an inde ratio virtutis fulminantis quæsita evidens? nuper primus patefecit non satis laudandus

dus Pharmacopæus MEYERS eam a caustico dependere, & nunc facile intelligimus affuso oleo vitrioli salis aut aceti acido, ipso addito sulphure causticum mutari, & vim fulminantem hoc mutato tolli.

Ignorari vero non debet hocce compositum non solum mediocri calore, sed etiam tritu, compressione validiori explodi, GAZETTE SALUTAIRE 1761. N. II. imo cum aliis pulveribus ruidius tritum inflammati, HANNÆUS ibidem N. XLII.

Sed estne aurum fulminans medicina? facilis responso. Aurum fulminans menstruis salibus gravidum suspectum, I. B. van SWIETEN, nec unquam Illi adhibitum salibus spoliatum omnibus, humanum corpus non mutat, nec ab eo inutilemetaleum, tamen ut in officinis habetur præscriptum, quandoque miras anxietates fecit, periculosa etiam symptomata excitavit, ut non amplius in Anglia adhibeatur.

Croci, magisteria, radicales aliae auri solutiones, in usum medicatum pariter vanæ sunt.

ARGENTUM Omnia. Classis Naturalis Metallicorum Nobiorum, Mineralogorum, W. Germ. Silber. Gallis Argent. Anglis Silver.

ARGENTUM album, *splendens, sonorum, elasticum, metallum*, in aqua forti crudum, in acidis vegetabilibus, aceti, succi citri, salis acetosellæ, præparatum solvitur, Cl. MARGGRAF, præcipitatum etiam sale alcalino, tum fixo cum sanguine confecto referatur, tum volatili spiritus salis ammoniaci aquosi, IDEM.

Post aurum maxime ductile hoc etiam magis elasticum & sonorum & durum est; in igne perstans nec alteratur, nec ponderis diminutionem patitur, potissimum tamen arsenico & sale communi volatile redditur. Cæterum nec aquæ subiacet, in bilance hydrostatica unam undecimam fere ponderis sui partem amittit, spiritu nitri cum effervescentia & calore dissolvitur, solutione acerrima & cito deleteria. Sic etiam crystalli inspissatione ex hac paratæ, causticæ, lotæ saepius, etiam dein siccatae, adhuc amarissimæ, argentum hydragogum ANGELI SALÆ constituunt, vix tuti usus.

LAPIS INFERNALIS LUNÆ ex inspissata purissimi per ignem argenti meraca solutione, consistentiam nactus, aut etiam ex crystallis lunæ igne fusis, & in modulos coniectis exurgens, instar ignis caustici, corpus animale in escharam cito comburit, imo marmor destruit, WALLERIUS; est huius lapidis multus chirurgis usus, & quidem omnium:

1. Ubi cultri, aut ignis usum ita abhorrent ægri, ut his visis animo deficiant.
2. In omni casu, ubi tumor extirpandus ob loci difficultatem ferro tentari non potest, etiam ubi polypi, scirrhi reliquiae consumendæ, ulceris in profundo siti callus auferendus, cancri venerei medicandi.
3. In phlegmonibus œdematosis lente suppurantibus, in tumoribus inflammatoriis malignis, quibus matières caustica inclusa est, ut bubonibus venereis, pestilentialibus, tum & in aliis a venenatorum animalium morsibus exortis, ut ipsum in labiis vulneris ha-rens

rens venenum citius, quam in sanguinem suscipi possit, destruatur.

4. Etiam in carie ossium; in carie enim, quam ignis curare non potuit, lapis infernalis eximio se se uero probavit. Cæterum nec id ignorari debet, ruptorio communis chirurgorum, & ossibus ad albedinem calcinatis, eominixtis, aquam marinam destillatione in vase convenienti dulcem reddi, & potabilem, hocque inventum esse JOSEPHI APPLEBY Angli.

In eundem censum aliorum metallorum, aut semi-metallorum solutiones acidæ revocantur; ex his enim plurima in tribus his acidis solvuntur: ita oleum vitrioli, spiritus nitri, salis, dissolvunt cuprum, ferrum, stannum, zincum, plumbum: oleum vitrioli, & spiritus nitri adhuc cobaltum, & alias arsenici mineras; reserat spiritus nitri mercurium vivum, regulum antimonii, quem etiam spiritus salis solvit, & quæ alia chemia docet.

BUTYRUM ANTIMONII *Offic.* Classis Præparatoriæ. Ordo Semimetallorum.

BUTYRUM antimonii est regulus antimonii mediante destillatione acido salis corrosus, confitens, potentissimum causticum, in ponendo gangrenæ, cariei limite multum chirurgis in usu, aliquibus etiam arcamnum; interne terribile venenum. Vide Acad. N. C. Vol. V. Cicuratur alcalinis, oleo tartari p. d. Acad. N. C. Vol. VII.

De Venenis Mercurialibus vide Mercurium, Parte II. *de fialagogis.*



CLAS-